



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

V [i.e. IIII]. Enoch Testimonium Immortalitatis & Vitæ æternæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

cordis, propter quam reus est ira Dei, & mar-
 corporalis & aeternae, nisi fuerit consecutus ven-
 sionem peccatorum propter uenturum Semen.

Adiungendum est igitur hoc dictum ad reliqua
 testimonia, quae docent carnali generatione propa-
 gari in posteros, naturae corruptionem, propter
 quam, nati, ad iram Dei & aeternas poenas obliga-
 tur. Rom. 5. Per unius delictum propagatum est ma-
 lum in omnes homines ad condemnationem. Ephe-
 Eramus naturae filij irae. Psal. 51. Ecce in iniquita-
 bus conceptus sum. Et infra Genes. 6. & 8. Cogitatio
 humani cordis mala est à pueritia.

Referatur etiam ad hunc Genes. locum il-
 strandum Collatio Adam & Christi, quae Rom. 4.
 1. Corinth. 15. à Paulo instituitur.

IIII.

DE IMMORTALITATE & Vita aeterna.

Maxime illustre testimonium de Immortalitate
 de restitutione corporum, et de uita perpetua, in quo
 pij uelut in portu eluctati ex huius uitae miserijs
 quiescent, est Filius Dei Dominus noster Iesus Chri-
 stus, qui non solum uiua uoce restitutionem corporum
 et uitam aeternam post hanc uitam praedixit, & affir-

matsecuturam esse, Verū etiam ipse multos ex morte in uia reuocauit, & ipse recepto suo corpore reuixit, & una resuscitati sunt cœtus Patrum & Prophetarum, qui quadragesimo die post, Ascensionis Christi in cœlum comites fuerunt.

Ad hoc testimonium etiam Eliæ assumptio in cœlum adiungatur, & præsens Enochii historia, Qui cum coram Deo ambulasset, hoc est, pius & fidelis doctor & gubernator Ecclesiæ Dei & præco iusticiæ suo tempore fuisset: tandem anno ætatis 365, spectantibus sine dubio cæteris Patribus (excepto Adamo, qui ante annum 57 decesserat) uiuus in cœlum translatus est.

Nec dubium est Enoch diligenter hanc sententiam de uita æterna, Hominiibus inculcasse, ut particula concionum ipsius testatur, quæ in Epistola Iudæ extat. Prophetauit de his septimus ab Adam Enoch dicens, Ecce ueniet Dominus cum omnibus sanctis milibus suis, ut faciat iudicium de omnibus, ut arguat omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, et de omnibus duris quæ locuti sunt contra Deum peccatores impij.

Venusta etiam cogitatio est de tempore huius iudicij. Ut enim Sex primi Patres mortui sunt, Septimus uero Enoch uiuus in cœlum translatus est, ita inquit Sex millenarijs mundi mors regnabit, Septimo autem beata immortalitas uigebit,

T E

TEXTVS QVIN-
ti Capitis.

Hic est liber generationis Adam.) Hoc est Genealogia Adam, seu Catalogus posterum Adæ, qui ex Adam generati sunt.

Instituit autem Moses hunc Catalogum proprie Genealogiam Christi, qui erat Semen mulieris, a Deo promissum, quod Serpentis caput contritum erat.

Iuuat etiam in historijs uidere perpetuam seminem & continuationem uirorum heroicorum, in quibus semina uirtutum excellentium plerumque in posterum propagantur, ut de Æacidis uersum ex Hæsiodo citat Polybius lib. 5.

Ἄϊακίδαι κλέμω κερκρότεε ἦε γε δ' αὖτι.

Genuit filios & filias.) Hoc est, multos alios quorum non meminit Scriptura, quia Christus non est ex eis natus.

Ambulauit Enoch coram Deo.) Fuit pius & summus doctor & gubernator Ecclesie, propagator ueræ doctrine & uerorum cultuum Dei, ut à Petro nominatur Præco iusticie.

Iste consolabitur nos.) Iste est promissus liberator, aboliturus maledictionem, sublaturus peccatum, mortem, & restiturus nobis uitam æternam, ut Enoch paulo ante uiuus in cælum translatus est.

NOM

NOMINA PROPRIA

Quinti Capitis.

- Adam) אדם Homo seu terrenus, $\chi\omicron\iota\mu\delta\varsigma$.
 Seth) שֵׁת fundamentum.
 Enos) אֵנוֹשׁ Homo ærumnosus.
 Caimam) קַיִן possessor, אֲנָה Kanah uel lamentator, אֲקוּן Kun.
 Malalehel) מַחֲלֵלֵאל Mahalaleel, id est, Sedulo laudans Deum. Vel laudabilis Deus, אֲחֵלֵל Hillel, unde est uox Halleluia.
 Jared) יָרֵד dominator, אֲרָדָה Radah, uel descendens, אֲרָדָה Iarad.
 Enoch) חֲנוֹךְ Hanoch, dedicatus, consecratus Deo.
 Mathusalem) מֵתוּשָׁלַח Methusalah, mortis misfio, uel mortem postulans aut uindicans.
 Lamech) לָמֵךְ opprimens אֲמֵכָה
 Noe) נֹחַ Noah, id est, quies.

CAPVT